

ORATIO

EX

HARVEII INSTITUTO

IN ÆDIBUS

COLLEGII REGALIS MEDICORUM

HABITA

PRIDIE CALEND. JULII, A.D. MDCCCXLIX.

A

JOHANNE CARR BADELEY, M.D., CANTAB.

COLL. REG. MED. LONDINENSIS SOCIO.



LONDON:
JOHN CHURCHILL, PRINCES STREET, SOHO.
MDCCCXLIX.

LONDON :
G. J. PALMER, SAVOY STREET, STRAND.

R35353

COLLEGII REGALIS MEDICORUM

LONDINENSIS

PRÆSIDI SOCIISQUE

Hanc Orationem

OBSERVANTIA DEBITA

D.D.

JOHANNES CARR BADELEY.



EXTRACT FROM THE WILL OF DR. WILLIAM
HARVEY, A. D. 1656.

“ To maintain friendship, there shall be once in every year a
“ *general feast* for all the Fellows of the College of Physicians ;
“ and on the day of such Feast shall be *an Oration in Latin*, by
“ some Member, to be appointed by the President, two eldest
“ Censors, and two eldest Elects, so as not to be appointed two
“ years together, in commemoration of the Benefactors by name,
“ and what in particular they have done for the benefit of the
“ College ; with an exhortation to others to imitate, and an
“ exhortation to the Members to study and search out the
“ Secrets of Nature by way of experiment, and for the honour
“ of the Profession, to continue mutually in love.”



ORATIO.

DIGNISSIME PRÆSES ;
SOCII DILECTI ET ORNATISSIMI !
VIRI ILLUSTRÉS SPECTATISSIMIQUE !

Bis senis mensibus peractis, dies rursus adest, quo nos convenire jussit Harveius, quo et Orationem Latinam, ab uno è Collegii Medicorum Sociis, præcepit habendam. Tot vero talesque vos huc hodie convenisse, mihi jam senescenti—mihi vitam in rure, (heu! nimis otiosam) degenti—mihi ab urbe et doctrinæ sedibus amoto—at tali munere functuro, non levem certè timorem incutiat necesse est, quo et magnoperè me quidem commotum sentio! Non tamen adeo mihi perterriti videor, quin adsit simul nonnihil etiam superbiæ et voluptatis; licet enim hodie dignitatem artis Medicæ tueri, laudesque eorum qui in eâ promovendâ, qui et in miseris succurrendis plurimum profecerint, publicè celebrare! Quid autem vel novi, vel vestris auribus digni proferam, qui in re Medicâ probè versati, in doctrinâ et in scientiâ præ me palmam tam facilè fertis?

Spero equidem ab audientium clementiâ Oratoris tenuitati subventum iri; et tanto veſtrûm præſidio munitus, ad munus ſuſcipiendum, quod mihi hodie delatum eſt, confidentiùs quodammodo, et majori alacritate accingor! Pro juffu igitur, et teſtamento Harveii, eorum qui Collegium hoc noſtrum beneficio affecerint nomina commemorare — quæque ſinguli præſtiterint referre—et dein poſteros, veſtigia talia prementes, ut Naturæ Arcana experimentis ipſi ſcrutarentur, exhortari noſtrum eſt. Quod cum Harveius ordinavit, et epulum poſtea apparandum legavit;

“ Ut pueris olim dant cruſtula blandi
Doctores,”

imprimis ut aurem Orationi præbeat, vos obſecro, quo vobis officio functis,

“ Tempus erit dapibus, Sodales!”

Et unde potiùs proficiſcatur Oratio noſtra, quàm è Linaeri virtutum commemoratione? Ille enim (Collegii noſtri verè Pater Fundatorque) præ turbâ cæterorum mihi laude digniſſimus videtur, quippe qui nihil quod Medicinæ profuerit, prætermiſſum habuit. In literis Græcis et Latinis erudiſſimus, eas primus apud Oxonienses edocuit—dum verò literis tam feliciter ſe præbuit, omnigenamque doctrinam, et philoſophiam diligenter coluit, cæteris, in re medicâ etiam, adèd præſtitit, ut tribus Angliæ Regibus Archiater conſtitutus, ſe illuſtrem, ſe immortalem reddiderit. Maxima verùm laus Linacro debetur, quòd ſingulari ſuâ apud Regem, Henricum

Octavum gratiâ usus est, per quam et Medicinæ dignitatem, et ejus Professores sustineret et efferret. Eo enim sæculo, et Monachi et Empirici medendi artem latè exercuerunt; et Episcoporum erat hos *ψευδο ιατρους* perscrutari. Quum autem hi Episcopi (quantâcunque pietate et theologiâ imbuti essent) non satis docti a Linacro haberentur ut de Medicorum peritiâ dijudicarent; hoc Collegium (Volveio duce et auspice), non solum Linacre fundavit, sed et Censores Medicorum instituit, qui non nisi peritis suæ artis exercendæ facultatem darent. O! utinam ille, qui de Medicis, qui de Republicâ tam bene meruit, iterum inter nos redivivus extaret, ut et nos simili beneficio cumularet! Utinam aliquis eodem ingenio ornatus exoriatur, qui non solum Medicis, verum etiam toti Civitati hujus Collegii utilitatem extenderet!

Quantum profecto salutis publicæ profuerit, si Angliæ Senatus auctoritatem plenam Collegio nostro concederet, per quam ignaros Medicinæ professores, nec gradu Academico, nec Diplomate donatos, non solum in hâc urbe, sed etiam per totam Angliam facilè cohibere posset! Rationi enim vix consentaneum videtur talis Collegii auctoritatem salutiferam intra terminos tam augustos concludi! Quantò commodius, quanto Reipublicæ quæstuosius fuerit, si circulatores istos, qui plebi “grande ferunt una cum damno dedecus,” qui dolis suis improbis et funestis, nimis heu! credulos indies captant, pœnâ coercere Collegio Medicorum licuerit! Quorsum enim Collegium hoc Regale institutum est, si non

undique et in omni regni parte Artem Medicam fovcat et attollat?—si non sinceram Medicinæ Praxin, et Medicorum dignitatem ubique sustineat?—Si non universæ civitatis, et civium omnium valetudini consulat?—Ad hoc se Linacre accinxit, hoc animo, Collegium erexit—ad hunc finem igitur *nos* niti oportet,

“ Si patriæ volumus, si nobis vivere cari ! ”

Proximus huic “ calcemque terens ” emicuit JOANNES CAIUS ! qui non modo doctrina suâ, sed et novâ dignitate, et Insignibus Collegium nostrum ornavit. Ille, Artem Medicam Anatomix culturâ sub illustri Vesalio foris acquisitâ, pro viribus promovere conatus est ; et in patriam redux, cadavera dissecandi artem publicè edocuit. Ille primus de Collegio commentarios (quàm eleganter !) Latinè scripsit, variis ille Collegii muneribus fideliter functus est, artisque nostræ nobilitatem fortiter sustinuit. In illo, uti in Linacro, inerat literarum humaniorum cupiditas, exquisita eruditio, et illum in omni æmulatus, quod incepit Linacre Oxoniensis, perfecit Cantabrigiensis Caius, Collegio apud Cantabrigiam fundato, suo nomine insignito. Ah ! quoties in sacello suo, viri hujus eximii sepulchrum, nec non quod incisum est epitaphium (“ *Fui Caius—Post Funera,*”) studiosè contemplatus sum ! Illius Collegii, in quo tot celeberrimi viri, (et inter hos Præses noster eruditus), literarum studiis operam dederunt, *me* quondam alumnium fuisse juvat—*me* morientem meminisse juvabit ! Si autem præ cæteris extat, ejus in nomine et Col-

legium a Caio fundamentum, et Collegium Medicorum gloriari fas est, in omni tempore, et hoc festo præcipué die, GULIELMI HARVEII nomen certè anteferendum agnoscimus!

“En nova progenies Cœlo” demitti, auctoque fulgore enitere, (astro natali Harveiano oriente) Ars nostra salutifera videtur. Altior rerum ordo cum illo natus est, qui post tot annos in Medicinâ promovendâ elapsos, fontem reclusit, è quo aureum Scientiæ flumen patriam populumque ditavit! Nimirùm ille, qui per corpus sanguinis circuitum detexit, ad morbos corporis sublevandos novam et adhuc incalcatam semitam nobis patefecit! Ecquis enim vel febrem, vel phlogosin, nisi empiricè, hâc absque notitiâ, tractare potuit? Ecquis de cordis motu, circulationis nescius, judicare ausus est? Hoc omne detexit Harveius—hoc omne experimentis probatum, et oculis aliorum fidelibus eo tempore honestè subjecit, et natis “natorum, et qui nascentur ab illis,” in lucrum tradidit! Hinc vero ortus est improbus et ineptus clamor! Invidiæ veneno afflati non deerant, qui palmam Harveio debitam vel sibimet ipsis arrogare, vel aliis coronam eam triumphalem imponere, inhonestè certabant—inter quos Riolanus, et Parisanus, et Servetus, et Columbus, et Cæsalpinus, cum multis aliis enumerandi. Qualiter tamen cursum suum ordinatum Luna tenet, canesque qui vano se latratu lacesunt, cum fastu aspernatur; “Pergant,” respondit Harveius, “pergant maledicendo; donec ipsos, si non pudet, pigeat tædeatque!” Contra enimvero veritatem quàm futilis contentio!

“ Merses profundo, pulchrior evenit ;”

et palmam, quam meruit, postremo tulit Harveius, et in æternum, credite, laturus est.

Quantos et quales præterea honores attigerit Harveius, nemini è nobis non compertum habeo. Quanti Rex Jacobus, et infelix ille Carolus eum fecerint, historici tradiderunt. Quod de Ovo manifestavit — quæ de Animalium generatione experimenta instituit — quod de Lienis usu — de Motu locali — de Volucris — de Insectis vulgavit, abundè in apertum est — quæ omnia, simul cum bibliothecâ, et museo, et domo, et pecuniâ, sociis convocatis, convivioque lauto exceptis, Societati Medicorum Londinensi, tabulis signatis munificè transcripsit ! Jam verò, annum ætatis suæ propè octogesimum agens, senio morboque confectus, vitæque munere quàm optimè perfunctus — occidit — occidit Lux illa ! et abortæ testantur tenebræ quantum sit tali caruisse sole !

Ne autem diutiùs in hoc illustri Triumviratu immorer, in alium, benè de nobis emeritum, in SYDENHAM feror. Ei summum in morborum diagnosi inerat acumen — in morbis amovendis egregia felicitas —

“ Nullius addietus jurare in verba magistri,”

Naturæ autem vestigia secutus, in morborum signis impensâ curâ, dehinc medendi rationem exquisivit ; neque ea quæ de febribus, de peste et de plurimis aliis contulit morbis, nimium posse laudari opinor — vel si cum amico suo Lock poeticè loqui datur ;

“ Se tandem Sydenham Febrisque Scholæque furori
 “ Opponens, morbi quærit et artis opem :
 “ Quid febrem extinguat, varius quid postulat usus,
 “ Solari ægrotos quâ potes arte, docet ;
 “ Extorsit Lachesi cultros, pestique venenum
 “ Abstulit, et tantos non sinit esse metus.”

Sin celeberrimi hujusce meritis, ita poeticè ex-
 positis, cumulationis aliquid laudis aliunde invectum
 lubeat afferri, audite, quæso, verba quibus ipse Boer-
 haave de illo usus est;—“ Unum eximium habeo
 “ Thomam Sydenham—Angliæ lumen—artis Phœ-
 “ bum ; cujus ego nomen sine honorificâ præfatione
 “ memorare erubescerem, quem quoties contemplor,
 “ occurrit animo vera Hippocratici viri species—de
 “ cujus erga Rempublicam meritis nunquam ita mag-
 “ nificè dicam, quin ejus id sit superatura dignitas.”
 In Febribus sanandis Cinchonæ valde innixus est, et
 Cerevisiam rarò ægris denegandam sed potiùs com-
 mendandam, vi sibi propriâ præcepit.—In Tractatu
 de Podagra etiam ait, “ Liquores quod spectat, ii, me
 “ judice, optimi sunt qui neque ad vini generositatem
 “ ascendunt, neque ad aquæ debilitatem deprimun-
 “ tur ; cujusmodi est Cerevisia tenuis Londinensis ;
 “ cum extrema, ab utrâque parte, noceant.”—Dein,
 in Tractatu de Febribus hisce utitur verbis ; “ Negare
 “ vero Cerevisiam tenuem, quæ subinde in mediocri
 “ quantitate sumatur, severitas est minimè necessaria,
 “ immo etiam sæpe detrimentosa !” In tot morbis
 denique Cerevisiam tantis effert laudibus, ut serto
 laureo, lupulis intexto, coronari mereatur !

Collegio Medicorum egregiè jam deessem, si inter

eos qui munificè ditaverint, BALDUINUM HAMEY silentio præterire—Illum enim—

“ Non civium ardor prava jubentium,
 “ Non vultus instantis tyranni,”

non incendium (quo nullum nec antea nec posthac edacius,) à nobis deflexit—Suo sumptu imprimis has ædes redemit—et postquam in cineres, simul cum urbe Londinensi, lapsæ fuerint, suis auspiciis, suâque diligentîâ instauratæ, aucto fulgore iterum enituere!

Per id tempus quamplurimi Arte medendi necnon literis humanioribus insignes, exorti sunt—quales erant Joannes Friend—Ricardus Mead—Morton—Gilbert—Georgius Baker—Radcliffe—Heberden—Samuelis Garth, et eximius ille Musarum cultor, Akenside.—Diu autem in his rostris mansurus essem, si de iis singillatim loqui, et in quo quisque præstiterit, enarrare ausim—vel si, quâ variâ ratione nobis in æternùm cari vixere, et vos, Auditores, eorum memores merendo fecere, ostendere conarer—quippè ne jam patientiam vestram nimis tentaverim me pertimescere confiteor. Pace igitur eorum omnium (de quibus tacere me piget et profecto pudet,) præcipiti cursu ad recentiores descendere mihi statutum est.

Quùm de Variolis agitur—morbo ab omnibus sed ante omnes à Virginibus horrendo, ecquis non EDWARDUM JENNER, divino penè prosequitur honore? Chirurgiæ illius principis, Joannis Hunter, amicus et sodalis, faustisque sub ejus penetralibus nutritus, ad historiæ naturalis studium se sedulò accinxit, et

postea in hac peste lethali avertendâ, viri vaccini vim præstantiorem (Ancillâ rusticâ docente et moneunte,) primus in lucem protulit—Quâ propter, O! beate Senex,

“ Ne sit Ancillæ tibi amor pudori,”

cujus opem tam facili exitu fortunavit Deus—cujus ope frequentissimam mortis januam a te obstrui et fermè occludi, venustatem que servatam, lætis gratisque animis confitemur! At si forte objiciatur hominem hunc felicem, cujus nomen laudabile per totum orbem terrarum viret semperque virebit—(de quo ipsa hæc Societas loqui suo jure possit, “ cum talis sit, utinam noster esset,”) nunquam inter nos admissum fuisse, et idcirco sub silentio premendum, recordamini, obsecro vos, Socii! quantam messem non sibi soli, sed et universo humano generi eum reportasse, et tacete!

Hisce viris tam meritò laudatis, nunc alium me juvat adjicere, qui artem nostram auxit et ornavit, qui et nonnullis è vobis, sicut et mihi, nec ignotus vixit, nec illachrymabilis decessit, MATTHÆUM BAILLIE! Ille, cum multis aliis Caledoniæ filiis, in hâc arte nostrâ præstantissimus enituit! Morgagni exemplum præ se ferens, morborum causas sedesque scalpello assiduè exploravit, fructumque laboris sui nobis impertivit. Probè memini eum mihi adolescenti dixisse, artem medicam tardè progressuram, nisi morborum signa quæ inter vivos se objecerint cum iis quæ post mortem spectanda fuerint, diligentius medici compararent! Quisnam qui ejus opera legit,

eum omnem in hoc fuisse dubitat? Quis sedulitatem ejus in Pathologiâ colendâ rei medicæ mirè profuisse negabit? Hoc sanè est in quo medicus eruditus a circumforaneo differt! Hinc oritur quod hic noxam, ille remedium, ægrotanti affert! Medicus autem fortunæ ludibrium vivit! qui eum adhibent, in quo deficit, nesciunt—qui eum rejiciunt, peritiam, eheu! ignorant! Ut verò paulisper ad Baillie redeam.—In anatomiâ versatissimus, morborum latibula perscrutatus est, quo fit ut in iis sublevandis pollentior se præstiterit. Aderat etiam gravitas et auctoritas, quales verè eruditum decent; simul gratia et probitas quibus discentium animos ad se facilè allexit.—Inter ægrotantes uniuscujusque ordinis nocte dieque occupatus vixit—dein scriptis suis, et millibus anatomiae exemplis (è quibus centum ferè suâ manu fabricatæ sunt) Collegium ditavit.—Hujus igitur, etsi ex oculis frustra lugentibus eum sustulit Libitina,

“ Ingenii vivent, vivent monumenta laboris,

“ Non nisi supremo dissoluenda die.”

Nunc autem, ad duos qui se illustres reddidere, Doctores YOUNG et WARREN, eâdem ferè quâ in parentes pietate liberi commoventur, attrahor—quorum sub auspiciis me artem Medicam in Sancti Georgii Nosocomio iniisse gloriôr—qui et me, dum messis adhuc esset in herbâ, vultu benigno toties aspexerint! Unum in omnigenâ scientiâ versatissimum—alterum in morbis sanandis peritissimum fuisse, quis non agnoscit? Vultu et fronte, me judice, Newtono similis, et simili quodam ingenio præditus,

in Mathesi, in Chemiâ, in Astronomiâ, in Opticis, in Mechanicis, in Linguarum cultu, necnon in toto Scientiæ orbe, simul cum Medicinâ, YOUNG præniluit—Symbola hieroglyphica, quæ in monumentis et tabulis Ægyptiacis, et præ omnibus in Rosettæ saxo incisa sunt, e tenebris eripuit. Colores prismaticos, quibus Pus à muco distingui possit, detexit et edocuit—et de Phthisi, et de Literaturâ Medicâ observationes, cum innumeris aliis magni pretii scriptis, nobis tradidit!

“ Multis ille bonis flebilis occidit,”

nec desiderio fama minor fuit! Artem medicam auxit; et, philosophiam non à Medicinâ alienam esse, clarè manifestavit. Quidnam ornati enim habet Medicina, nisi cum philosophiâ et scientiâ conjuncta sit? Quidnam formosi præbet arboris truncus, ramorum et foliorum omninò expers? Navis, non nisi remigio propulsa, quàm tardè, quàm laboriosè secat iter! cum vero “ Ventis dant carbasa Nautæ,” auctâ majestate, auctâ et velocitate, optata ad littora tendit!

De WOLLASTON, altero Caiensi alumno insigni, qui tamen medicinæ adyto relicto, in campo chemico et philosophico, “ non sine gloriâ,” militavit—de GULIELMO BABINGTON, (qui me adhuc ædis Carthusianæ alumnum, Typho laborantem, ex Orci faucibus eripuit,) qui et suavitate morum, et probitate, et in re medicâ peritiâ se simul dilectum et illustrem reddidit,—de utroque horum pauca lubenter proferrem, si non animo nostro rursus occurreret, quo bre-

viorem eo dulciorem vobis Orationem nostram futuram. Quamobrem de permultis, qui optimè de nobis meruerunt, qui et donis et nominibus suis Collegium ditaverunt, invitus tacere cogor. Superest jam solum ex iis quos “perpetuus sopor Urget,” quem commemorare in animo est — nec vereor ne mihi succenseatis, Amici, quod HENRICUM HALFORD—

“ His saltem accumullem donis, et fungar inani
“ Munere.”

At vox mihi parùm facunda est ut dicam quæ velim, dum in dilecto hoc nomine paulo diutiùs immorer ! Ah ! quoties hùc ingredior—quoties sceptrum quod sua manus recenter gestavit video—quoties togam illam auratam, Præsidi propriam, aspicio—quandò nunc iterum hoc festo die, has ædes, tanto doctorum cætu celebratas, et tot viris illustrissimis spectatissimisque ornatas contemplor—quonam “desiderio tam cari capitis” nonne me commoveri sentio ?

Erat profectò ex eo medicorum numero qui in hoc collegio, in hac urbe, pluris semper habitati fuere. Ecquid erat unquam quod ad dignitatem artis medicæ tuendam, vel ad res nostras amplificandas tenderet, cui ille Præses noster amabilis non fautor fuerit et adjutor ? Ecquis unquam linguæ Latinæ elegantiarum scientior ? Ecquis utriusque senatus proceribus, vel et Regiæ Prosapiæ principibus, vixit gratior ? Ecquis ad ægros succurrendos extitit promptior ? Testantur hæc mœnia quanto labore ad ea extruenda usus est—quantas opes e Thesauro Radeliviano nobis comparavit ; et cum hoc pietatis

monumentum exegisset, quis vestrûm Orationem, quam perpolitam, in die dedicationis habuerit, non meminerit?

“Auditis? an me ludit amabilis.

“Insania?”

Audire jam videor illum eloqui—principibus viris undique circumfusum—à laudatis undique, nec immeritò, laudatum. Illum profectò lugent Artes humaniores — mærent Musæ — deflet Collegium—plorant amici omnes sociique!

Dum vero, ad Harveii voluntatem me conformans, mortuorum nomina commemoro, et quid singuli Collegio præstiterint proferre ineptè molior, de iis etiam qui hodiè inter nos artem nostram promovent, scientiam colunt, et Collegio prosunt, pro meritis fari fert animus! Quantum enimvero medicorum agmen inter hodiernos hic laborat! Quid non de plebe indies merentur? Immò aliis medendo, aliis inserviando, consumuntur medici! et quomodo per varios aditus bono publico optimè consulere, et sibi honestam famam quærere liceat, assiduè certant!

Hic, exempli gratiâ, Caduceo Apollineo, qui Stethoscopi nomine gaudet, instructus,

“Pectoribus inhians, *spirantia* consulit exta!”

Ille, Cordis affectibus impensè dat operam—alii Nervorum et Cerebri morbis curam impendunt—alii in Mulierum perpessionibus levandis (sicut dilectus ille Lucinæ* sacerdos, quem lætè præ oculis habeo) cæteris præstant! In morbis Renum et Vesicæ in-

* Carolus Mansfield Clarke, Baronettus.

vestigandis alii laborant! — alii Amentiam exquirunt; et vinclis et flagellis sepositis, menti aliquod temperamentum adhibere (nec incassum) petunt.

Permultos, credite, inter recentiores interque hodiernos, immo inter Vos qui adestis, lubenter commemorem. In hoc tantùm hæreo, ne vestro pudori offendam, si vos debitis honoribus cumularem! Unum tamen è vobis seligam—qui ob munus quo jàm inter nos fungitur, qui et ob eruditionem suam notatu dignus mihi videtur—Etsi enim Præsidem illum, quem amore propiori dileximus, quem et avulsum oculi omnium hæcce inter subsellia etiam nunc desiderant, commemoravi, “non deficit alter” qui quodcumque ad materiam medicam attinet tam lucide exposuit—qui, quid sit edendum, quid bibendum, quid utrinque vitandum, nos scienter docuit—qui in chemiâ et in philosophiâ se clarum præstitit—qui chemiæ illius principis Humphredi Davy vitam fideliter scripsit—qui summam per varios tractatus

“ Sic miscuit utile dulci,

“ Lectorem delectando, pariterque monendo,”

ut præsentī illi maturos fas sit largiri honores! Ergo, quid restat, nisi ut Horatii verbis optemus,

“ PARIS, ut salvus regnet, vivatque beatus! *

Quoniam igitur inter nos, veluti inter veteres, talem diligentiam, talem munificentiam agnoscimus, quid opus est Hortatione (ab Harveio præscriptâ,) ut eos imitemur? Quantoperè enim ars medica nuper progressa est! Quot, hactenus ignota, jam videntur

* Hor. Epist. lib. I, Epist. 2, l. 10.

remedia? Quantum Medicinæ, paucos intra annos, subvenit chemia! Sanè, quisque dies messem suam frugiferam reddit! et, licet forsàn (ut Tacitus queritur,)

“Naturâ infirmitatis humanæ tardiora sunt remedia quàm mala,” non extat malum quod vel sanare, vel plusve minusve mitigare, medicinæ non datur.

Pergîte ergo, pergite, vos, Juvenes, precor! —

“Servetur ad imum

“Qualis ab incepto processerit”

diligentia vestra! Eodem enim desiderio, eodem quo veteres ingenio vos præditi estis! Nulla certè regia patet ad scientiam via; immo ad eam consequendam ingenio non mediocri et industriâ non tenui opus esse videtur. Non rubet rosa, neque suaves undique spirat odores, quam nec imbres nec, auræ mulcent. Torpet tellus fœda sterilisque, nec nisi pingui prius fimo saturata, blandis etiam solibus tepuerit, frugum fructuumque quicquam lætiorum effundit. Nemo unquam in quâlibet arte, nisi qui prius omnia ad eam artem pertinentia, multo studio, et perito docente magistro perceperit, multâque insuper industriâ et quotidiano penè usu in eâdem sese diutiùs exercuerit, egregium quicquam et perfectius consecutus est!

Latior etiam exindè patet Medicinæ et Scientiæ campus—et uberior medicorum industriæ materies suppetit, adeò ut nemini quisquam deesse videatur, in quo se probè et felici operâ exerceat—unde quæ ad victum necessaria commodè sibi comparet—aliisque interea (in suo quisque loco,) se utilem præbeat.

Verùm dum omnes ita conjunctis et vicissim communicatis laboribus universæ civitatis utilitati inserviunt—si præ cæteris egregia et præstantior Ars Medica habenda sit—si quæ sit in eâ humanitatis gratia—si quis utilioris vitæ honor, mutuum auxilium, in tuamque fidem adhibere—labores participare—curas consociare—et omni quod nec honestum nec decorum sit, pro virili resistere, præcipuè nostrum est. Cujuscunque enim vel gradus simus, vel ordinis—sive manu, sive consilio valemus—ad idem ferè propositum tendimus—in eodem nos omnes versamur. Absint, igitur, à nobis, O Socii ! rixæ—absint simultates—absit invidia ! Si in re Medicâ renovatio quædam et commutatio sit instituenda, ne bellum civile, quod Europam ferè universam nuperrimè fœdavit, templum Apollini sacrum, vos precor, polluat ! Ita vero instituat, ita ordinetur Reformatio, ut, vice distrahendi, arctiori potius vinculo nos invicem alliget ! Latius hujus templi pandantur portæ, adeo ut quæcunque sit Alma Mater, sive sit Oxoniensis, sive Cantabrigiensis, sive Londinensis, sive vel Edinensis vel Eblanensis, filii ejusque, (sint modo digni) nos inter recipiantur ! “Salus enim populi suprema lex ;” Saluti Populi præ omnibus Medici consulunt ; et (ut hanc tandem Orationem, plus æquo prolixam, in verbis Ciceronis, ad finem ducam). “In nullâ re, homines propiùs “ad Deos accedunt, quàm Salutem hominibus dando !”

Valete !

LONDON :

PRINTED BY G. J. PALMER, SAVOY STREET, STRAND.